

tas, qui nostros versus in nullo Codice accurato & antiquo legi dixerat, de quo supra egimus. Altera succedit ex Masora petita, quæ 28. **תנ** in Cap. XXI. numerat, nostraque nomina urbium cum **תנ** conjuncta prætermittit. Sed quanti ejus autoritas sit habenda, jam etiam monuimus. Hoc unicum adhuc observandum, quod hujus annotationis Auctorem maxime Masoræ autoritas commoverit, ut nostros versus omittendos statuerit, id enim volunt verba: *Et hæc ratio (Masoræ) gravis est.* Quod vix Auctori condonandum, qui neglecto contextu sola Masoræ autoritate stetit. Hos itaque celeberrimos Bibliorum Hebræorum Editores secuti sunt alii plures, qui nostris versibus locum suum denegarunt. Leusdenius opera R. Athiæ adjutus in accuratissimis edendis Bibliis anno 1661. & 1667. multum laborem impendit, neque tamen in illis nostros versus prætermittere dubitavit, sententiam suam de iisdem hac marginali includens nota:

*In quibusdam Codicibus sunt h. l. duo versus. Et ex tribu Ruben &c. Sed illi sunt erronei, nec debent h. l. poni. Inspice Commentarium D. Kimchi & Masoram. Eosdem versus omisos vidimus in tribus MStis antiquis.*

בְּקֶצֶת סְפָרִים יֵשׁ כַּאֲזַנְ בִּי  
 פְּסוּקִים וּמְסוּרָה רַחוּבָן וְזוֹמֵר  
 וְשַׁעוֹת הוּא וְאֵינֶם רְאוּיִם לְהִיּוֹת  
 וְעֵינַי בְּפִירוּשׁ הַרְדִּי קִי וּבְמַסְרָה  
 וְכֵן נִמְצָא בְּגִי סְפָרִים יֵשׁ שְׁנַיִם  
 מְדוּקָיִם כְּתוּבֵי יָד:

Ex hac vero annotatione facile cognoscimus, quod ex ingenio Rabbi Kimchii, quod Masoræ autoritati addictum, profecta sit. Quis dubitet eam consilio R. Athiæ esse additam & a Leusdenio sine prævio examine approbatam. Kimchii & Masoræ autoritati opponendæ erant tot versiones antiquissimæ Græcæ, Syriaca, Arabica, Chaldaica, Latina aliæque plures, quæ, uti videbimus, nostros versus legunt. Et quod maximum, inspiciendus erat contextus, qui nostros versus adesse jubet. Trium MStorum nec optimorum auctori-